AD JOANNEM SCACOZ

PHARENSIUM ANTISTITEM

MARCI BUNICICHII.

ELEGIA I.

Ergo tam patiens indefessusque laborum
  Esuriens patriis rusticus acer agris
Pauca fugam leti studio sibi quaeret inani?
  Vimque necaturae sentiet ille famis?
Qua prece, quo gemitu Superos, hominesve movebo?
  Nempe haec pars superest, quam morientis, agam.
Cernite quam solis agrestes ossibus haerent:
  Nusquam est in sicco graminis herba solo.
O tellus jam non mater, sed dura noverca:
  Me miserum, levius jam tibi pondus ero.
Sic caligantemque oculis et genua labantem
  Agricolam in campis ingemuisse reor.
Tu vero, nam centum oculos centum adplicat aures,
  Urget quem stimulis advigilantis amor:
Tu pater haec hauris, et natis flentibus adflens
  Ipsorumqne dolens corde gemente vicem;
Adsumus, exclamas: miseris succurrere par est;
  Adsumus: in nostro spes refovete sinu.

Me natosque meos nullo discrimine habebo,
Auxilium mensa haec omnibus una feret.
Hoc est, sancte Deus, populo quod nostra precanti
Nuper in extrema est reddita vita die?
Certum est, rem vitamque ipsam hanc impendere egenis:
Haec omnis collo est turba ferenda meo.
Ite rates Pharioque exponite littore fruges:
Fata meis, foedam rem prohibete mihi.
Deficiant nummi, pietas non deficit: o quam
Mollia supplicibus pectora Coesar habet!
Nec desunt sacris argentea munera mensis;
Viva Dei vivo me Patre templa cadant?
Ferte cibum, famuli, date opem, relevate jacentes:
Mecum erit, ut cunctis suppetat, iste labor.
Hic ceu per medias Urbes si flexibus erret,
Prataque largifluis alluat amnis aquis;
Fervet opus: levis admissa rota volvitur unda;
Hic docta argutus stringitur arte chalybs.
Illic dente scabro Cerealia dona teruntur:
Candidus it rapido pulvis ab orbe molae.
Persultat loetas loetum pecus omne per herbas,
Grataque silvestres mulcet avena Deos.
Sic ubi larga tuo diffusa est munere frugis
Copia, perque inopes ivit amica domos;
Hinc habilis rediit duris vigor ille colonis,
Et sata firmatus suscitat arva labor.

Sic tua Scacotides moribunda revixit, egentem
  Se memori et gaudet mente fuisse Pharos.
Fortunata Pharos! sitiens licet aestus agrestes,
  Aut penetrans Boreae frigus adurat opes;
Nil tibi damna famis metuas pastore sub isto:
  Omnia fert pietas, omnia vincit amor.
Vivat ut ille, roga: sit opus, tibi fercula Coelum,
  Et dabit emisso pocula fonte silex.

ELEGIA II.

Vive diu venerande senex : proprios ego tecum,
Si fas est, annos contribuisse velim.
Tu sacri dum sceptra tenes pastoria regni,
Delapsus Coelo diceris esse Pater.
Hissa Pharosque mihi testes : hic gratia si qua est,
Hic pietatis erunt et monumenta tuae.
Frugibus infelix ibat niger annus : at illum
Mutasti niveis providus alitibus.
Nam ex aliis accita plagis alit oppida messis :
At macilenta fames Tartara nigra subit.
Haec fore ut oeternis numquam caput efferat umbris
Spes populi te te respicientis ait.
Nec cadet ista tuo bene pignore firma, priusquam
Coelica ad ambrosias te vocet aula dapes.
Hunc vero vobis, inopes gaudete, timorem
Laethaeo facilis mersit in amne Deus.
Sed tu vive libens : hic te nisi vota morentur,
Nunc Leopoldeus non decoraret honos.

Ordinibus Superum quo serius, altius hoc te
Inseret ad reliquum vita superstes opus.
Inveniet quid agat pietas tua: gaudet Olympus:
Circa hominum saliunt cura dolorque latus.
Te beet interea benefactis nata voluptas,
Et tibi sit populi grata in amore quies.
Quisquis amatur, onus vel Atlantis perferat, olli
Publicus est oneris dulce levamen amor.
Te memorant, teneri cum pignora salva parentes
Adspectant, gremio cum refoventque suo.
Et si fausta sibi, et felicia cuncta precantur
Exoptant capiti sint prius ista tuo.